

## CAPUT II.

## DE FIDEI ACTU INTERNO.

**193. I.** Praeceptum fidei internum tum affirmativum, tum negativum est; quatenus *affirmativum*, obligat ad credenda ea quae a Deo revelata sunt et ab Ecclesia proposita: quatenus *negativum*, vetat ne quis eadem neget vel in dubium revocet. Hic tantum determinabuntur circumstantiae in quibus urgeat pars affirmativa; de negativa dicetur cap. IV.

Obligatio actus fidei eliciendi quandoque urgeat per se, seu ratione ipsius praeepti fidei, quandoque per accidens, seu ratione alterius praeepti quod, sine actu fidei, impleri non possit. Attamen in hoc posteriore casu unum tantum peccatum committitur ab eo qui illud alterum praeeptum transgreditur.

**194. II. Per se obligat praeeptum fidei internum:**

1° Pueros inter fideles educatos, quando, rationis usum perfecte consecuti, mysteria fidei audiunt, apprehenduntque quod illa credere sit res necessaria ad salutem. "In praxi numquam contingit hos pueros esse in mora." (Sanch. in Dec. l. 2. c. 1. n. 3)

2° Adultos acatholicos, quando fides catholica ipsis sufficienter proposita est ut ratio, cum morali certitudine, dictet hanc fidem esse veram. Quodsi nondum affulget haec moralis certitudo, sed propria secta videtur adhuc probabilis, quamvis jam pro fide catholica probabiles vel etiam probabiliore rationes appareant, habebitur sane obligatio inquirendi veritatem, nondum tamen urgeat obligatio statim credendi. Nec quidquam amplius videtur erui posse e damnatione prop. 4<sup>ae</sup> ab Innoc. XI reprobatae: "Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili." Attamen, in articulo mortis, infidelis cui fides catholica videretur probabilior, teneretur ad eam amplectendam: cum enim tunc agatur de re quae sit omnino ad salutem necessaria, tutius sequendum est. (Ball. P. n. 44 seqq.)

3° Tentatos contra fidem ita ut, nisi actum positivum eliciant, in periculum fidei amittendae labantur. Saepe tamen hujusmodi tentatio facilius vincetur mentem ad alia divertendo.

4° Post lapsum in haeresim vel apostasiam.

5° Interdum in vita. Quoties autem hujusmodi actus sit eliciendus theoretice determinari nequit, ut patet ex optimorum AA. dissidiis. Neque practice ulla difficultas inde oritur: nam, cum materia honeste et inhoneste operandi frequenter occurrat, christianus saepe actum

fidei saltem implicite exercebit, dum propter fidei motiva virtutem colet vel a vitiis cavebit. Ab Innoc. XI damnata est prop. 17<sup>a</sup>: "Satis est actum fidei semel in vita elicere."

**195. III. Per accidens obligat praeeptum fidei internum:**

1° Quando urgeat tentatio contra alias virtutes quae alia ratione superari nequeat. Propterea non raro in articulo mortis haec obligatio viget. (Ball. P. n. 51)

2° Quando professio fidei exterior facienda est.

3° Quando urgeat aliud praeeptum quod fidem supponit, ex. gr. communicandi. Sufficit tamen in hoc casu ut eliciatur fides in eum articulum qui huic praeepto implendo praerequiritur, ex. gr. in praesentiam realem Christi in Eucharistia, neque necessarius est actus fidei *formalis*, sed sufficit *virtualis* seu *implicitus*, scil. persuasio in animo permanens e motivo revelationis olim explicite et advertenter cognito. Multo minus obligamur ad recitandam formulam consuetam actus fidei. (Ball. P. n. 50)

## CAPUT III.

## DE FIDE EXTERIUS PROFITENDA.

## § I. REGULAE GENERALES.

**196. I.** Numquam licet **veram fidem negare vel falsam profiteri** sive *explicite*, verbo, signo, nutu; sive *implicitate*, opere, silentio, omissione quae, in concretis adjunctis et juxta communem existimationem, aequivaleat fidei negationi. Utroque modo committitur peccatum grave. Nam dedecus inuritur Deo ab eo qui erubescit se Illius servum fateri: quod tanto clarius patet quanto artiora sunt vincula quibus creatura Creatori obligatur. Cfr. Matth. X, 33. Ita graviter peccaret qui, etiam mere externe, idolo exhiberet honorem qui communiter tamquam cultus signum haberetur, vel taceret quando alius pro eo responderet eum non esse catholicum.

Nequaquam fidem negaret, sed per se leve tantum mendacium faceret qui negaret se esse sacerdotem, religiosum, etc.

**III.** Tenetur unusquisque christianus **fidem quandoque exterius profiteri**. Cfr. Rom. X, 10. Haec obligatio fundatur in vita sociali quam fideles in Ecclesia, societate externa et visibili, agunt. Etenim conjunctio illa visibilis quam Christus inter membra Ecclesiae suae

vigere voluit, ut a Dogmaticis demonstratur, haberi nequit nisi membra sensibiliter conjungantur inter se, quod fit dum singula manifestant se esse hujus corporis mystici membra, profitendo eandem fidem et religionem communem aliis membris. Insuper videretur dedignari Dominum et erubescere professionem suae servitutis qui eam etiam conservis suis et toti familiae, absque justa causa, occultare vellet. Haec tamen positiva obligatio quandoque cessare potest, puta si quis detineatur inter infideles quibus non posset sine gravi damno fidem suam manifestare. (Lugo, de Fide, disp. 14. n. 52 seqq.) Practice huic obligationi facillime satisfit dum implentur varia vitae christianae officia quibus externa fidei catholicae professio continetur, ex. gr. sacramentorum susceptio.

Praeterea fidem *formaliter* profiteri per verbum vel signum, quod directe tendat ad fidem internam ostendendam, tenetur christianus in duplici casu :

1<sup>o</sup> Si hanc professionem exigit *honor Deo debitus*. Hoc autem non obtinet nisi cum omissio hujus professionis notabiliter minueret apud infideles existimationem de Deo et vera religione, vel privaret Deum magno honore qui Ipsi e professione fidei in talibus adjunctis daretur. In hoc posteriore casu, qui rarus erit, potius e caritate Dei quam e praeepto fidei obligatio oriretur.

2<sup>o</sup> Si hanc professionem exigit *utilitas proximi*. Haec autem, ut strictam obligationem inducat, tanta esse debet ut aequivaleat morali necessitati, ex. gr. si mea confessio necessaria reputatur ne alii fideles a fide deficiant, si exemplo meae confessionis alii infideles ad fidem convertentur. Quando tamen in particulari certa obligatio oriatur, vix aliter quam prudentis viri arbitrio definiri potest. (Ball. P. n. 67 seqq.)

**197. III.** Licet quandoque **dissimulare fidem**, etiam quando circumstantiae ejus professionem exigere videntur, dummodo absit scandalum et excuset justa ratio, ex. gr. gravis mali timor; numquam autem id licet quando silentium vel tergiversatio aequivalet negationi vel erubescenciae, nec unquam falsam fidem simulare licet.

*Regulariter* negationi fidei vel erubescenciae aequivalet silentium vel tergiversatio quando aliquis de fide interrogatur a persona quae *publica* auctoritate fulget : quare damnata est ab Innoc. XI prop. 18<sup>a</sup> : " Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo : tacere, ut peccaminosum per se non damno. " Excipe tamen : si taciturnitas pro aequivalenti fidei confessione a circumstantibus habetur vel si, in aliquibus regionibus, lex aperte statuit nulli potestati publicae licere ut se in civium conscientiam ingerat. (Lehm. I. n. 293; Kenrick, Theol. Mor. tr. 13. n. 30)

At ubi interrogatio a *privato* fit, facilius dissimulatio licere potest. Videndum utrum in iis adjunctis dissimulatio appareat tamquam fidei erubescencia an tamquam interrogantis contemptus.

Non peccat contra praeeptum fidei profitendae qui in locis haereticorum, ad vitandas graves vexationes, carnes diebus abstinentiae manducat. Per se enim talis actio minime aequivalet negationi fidei catholicae vel erubescenciae quae in contemptum illius cedat. Contrarium dicendum foret si ad carnes manducandas in odium fidei cogeretur : quamvis, etiam in hoc casu, peccatum removeri possit, protestando se in carnibus manducandis minime participare perversae significationi quam huic actioni adnectant fidei hostes. (Bus. ap. S. Alph. n. 15)

De *vestibus* autem quae propriae sint haereticorum vel infidelium vix ulla hodie difficultas in praxi occurrit. Generatim enim nullum periculum erit ut aliquis propter delationem aliquarum vestium censeatur falsam religionem amplexus esse. Quare per se licet, praesertim in locis in quibus aliquis ignotus est, deferre vestes quibus utuntur ministri cultus falsi, ex. gr. togam Bonziorum vel sacerdotum mahumedanorum. (Ball. P. n. 88)

Aliter dicendum de vestibus quae minus ad tegendum corpus quam ad falsam sectam profitendam aut falsum cultum exhibendum usurpantur, qualia sunt indumenta quibus sacerdotes idolorum in suis tantum religiosis functionibus utuntur, insignia franco-murarium, etc. Has deferre non licet, nisi clare ex adjunctis pateat eas nullatenus ad hunc finem pravum usurpari, sed ad nuditatem in necessitate tegendam, ad spectaculum dandum, etc. (Lugo, de Fide, disp. 14. n. 87; Lehm. I. n. 294)

**Nutus** vel manuum et digitorum motus quibus significetur negatio fidei vel professio falsae sectae numquam sunt liciti : aequivalent enim, in his adjunctis, verbis quibus diserte vera fides negetur. (Lugo, ib. n. 93) Hoc tamen non putaverim extendendum ad signa quibus franco-murarii se invicem agnoscere solent : quae non videtur aequivalens hujus sectae professio, sed medium ut a sectae sociis amice tractentur.

**IV.** Lege ecclesiastica tenentur sub gravi **professionem fidei emittere** :

1<sup>o</sup> Provisi de beneficio curato idque intra duos menses a die adeptae possessionis coram episcopo, vel, eo impedito, coram ejus generali vicario. (Trid. Sess. 24. de ref. c. 12) Neque probat S. C. Ep. et Reg. ut episcopum alium sacerdotem ad professionem fidei accipiendam deleget, ut constat e resp. 14 Ap. 1890. (N. R. Th. t. 22. p. 241) Haec obligatio complectitur parochos etiam amovibiles seu *succursalistas* ; renovanda est professio fidei quoties isti vel alii ad novum beneficium transferuntur. (S. C. C. 15 Dec. 1886)

2° Provisi de Canonicatu vel Dignitate in ecclesia cathedrali, idque non tantum coram episcopo vel ejus vicario, sed etiam in Capitulo. (Trid. l. c.)

3° Primates, archiepiscopi, episcopi in prima Synodo Provinciali cui intererunt. (Trid. Sess. 25. c. 2) Hodie etiam omnes ad episcopatum promoti privatim id faciunt in manibus Nuntii Apostolici vel alterius episcopi a Papa ad hoc deputati.

4° Praelati Regulares, ex Const. Pii IV *Injunctum*, nisi consuetudine (ut videtur in quibusdam locis factum) sublata fuerit obligatio.

5° Promovendi in academiis ad gradus litterarios et doctores magister publici, saltem theologiae. Ita usus temperavit quod ad magistros cujuscumque disciplinae extenderat Pius IV, Const. *In Sacrosancta*. (Aichner, Comp. Juris eccl. § 150. 3)

## §. 2. DE COMMUNICATIONE CUM HAERETICIS ET INFIDELIBUS.

198. Ex officiis fidei verae profitendae neque umquam negandae, nascuntur nonnullae difficultates praesertim in communicatione cum haereticis, infidelibus, apostatis, etc. Praecipuas breviter solvemus.

Generatim licita est, saltem ex hodierna consuetudine, communicatio *cum haereticis in rebus mere civilibus*. Regulariter vero non licet cum iisdem communicare *in rebus sacris* vel *in mixtis*, quatenus ad religionem spectant, puta in ritu religioso matrimonii vel funerum. Hujus prohibitionis ratio desumitur tum e lege naturali, tum e Jure Canonico: e jure naturali, quatenus talis communicatio habet speciem adhaesionis sectae falsae, fovet indifferentismum, scandalum praebet vel occasio est seductionis; e Jure Canonico, quatenus eadem constanter a S. Sede prohibita est. Cfr. plurima documenta in Coll. P. F. nn. 1797-1855. Attamen, cum incommoda illa quandoque abesse possint, neque talis communicatio sit intrinsece mala, eadem interdum tolerari potest: lex enim ecclesiastica cessat in casu quo longe plus incommodi quam commodi habet. (D'Annib. I. n. 110. nota 11) Ideo S. Sedes, licet talem communicationem diserte prohiberet et ab episcopis omnino tollendam esse praescriberet, pluries addidit eam tolerari posse quando gravissima damna aliter vitari non possent. (Coll. P. F. nn. 1811, 1814) Ut tamen advertit Bened. XIV (De Syn. l. 6. c. 5. n. 2), quamvis praeclari theologi, ut Sylvius, Lugo, etc. opinentur hanc communicationem cum heterodoxis ob gravissimam causam licere, tot requirunt condiciones ut rarissime omnes simul adfuturæ sint.

Adhuc strictius prohibetur communicatio *cum infidelibus* in rebus sacris vel mixtis. Etenim eorum cultus solet esse prorsus falsus ac

superstitiosus: quare qui cum iis in talibus rebus communicant fere semper ponent partem cultus superstitiosi, quod intrinsece malum est. Deinde in regionibus in quibus pauci catholici multis infidelibus permixti vivunt, fideles qui caerimoniis etiam mixtis interessent, puta conviviis in honorem progenitorum a Sinensibus celebratis, confirmarent infideles in eorum erroribus et superstitionibus, immo plerumque se ipsos in manifestum periculum conjicerent relabendi in avitas superstitiones. (S. Inqu. 21 Jan. 1802; Coll. P. F. n. 1775)

Speciatim autem haec attendenda sunt:

199. I. Numquam licet catholicis **sacramenta ab haereticis petere** si ea ministraturi sunt modo qui a ritibus catholicis alienus sit eosque ab Ecclesia Catholica discernat. Nam qui ita cum eis communicaret implicite fidem negaret et falsam sectam protestaretur. Immo neque alia sacramenta quae ritu catholico administrant, saltem extra periculum mortis, ab haereticis recipere fas est. Cfr. Vol. II. nn. 131 et 517.

II. Parentibus numquam licet, etiam ob gravissimum incommodum, positive cooperari ut liberi sui a ministro haeretico baptizentur; passive se habere possent quando sine gravi incommodo obsistere nequirent. (Ball. P. n. 99)

Catholicis numquam licet patrinum agere per se vel per procuratorem in baptismo qui acatholico ritu ministretur, ut constat e pluribus S. Sedis documentis. (Inst. S. Inqu. 1871; Coll. P. F. n. 1847) Ideo relinquenda sententia plurium antiquiorum DD. qui id licitum opinabantur. Ratio praecipua est quod patrinus, cum debeat a ministro, nomine baptizandi, baptismum petere, necessario sectae auctoritatem agnoscit.

200. III. De ingressu in templa haereticorum vel assistentia eorum functionibus, sequentia notabimus:

1° Solus ingressus in templa haereticorum, secluso scandalo vel prohibitione speciali, est licitus, cum sit actio per se indifferens. Immo etiam licet visitare SS. Sacramentum quod in iisdem ecclesiis, puta Graecorum, asservatur, et coram imaginibus Sanctorum quae in iis reperiuntur orare, dummodo catholici in precibus cum heterodoxis non jungantur. (Coll. P. F. n. 1824)

2° Assistentia contionibus vel sacris functionibus haereticorum graviter illicita est quando a gubernio catholicis praecipitur in sectae falsae favorem. Nam in iis adjunctis necessario fit actio religiosa, significans cultum sacrum erga templum acatholicum et actiones quae ibi fiunt. Ideo talis assistentia numquam licet, etiam ad gravissima damna vitanda. (Lugo, de Fide, disp. 15. sect. 6) Idem dicendum esset si talis

aditus vulgo haberetur tamquam tessera communionis cum secta heterodoxa. Ratio prohibitionis auferretur si catholici adigerentur ad partem aliquam sumendam in functionibus religiosis haereticorum, ut accidit in Imperio Russiaco pueris qui in publicis scholis educantur et quandoque jubentur ad templa " orthodoxa " adire, crucem a ministro acatholico porrectam osculari, panes benedictos accipere, etc. (S. Inqu. 26 Apr. 1894; N. R. Th. t. 27. p. 260)

Probabiliter vero licet catholicis interesse functionibus acatholicorum ubi hoc a gubernio praecipitur ordinis servandi causa, minime ut sectae favor praestetur: quam condicionem Konings (I. n. 254), Lehm. (I. n. 651), etc. opinantur verificari in publicis navibus et carceribus Statuum Foeder. Americae.

3<sup>o</sup> Etiam extra hos casus regulariter non licet haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse. (S. Inqu. 10 Maii 1770; Coll. P. F. n. 1825) Severius haec prohibitio urgenda est in locis in quibus acatholici pauci sunt et magnos conatus faciunt ad proselytas lucrandos. Ita Card. Vic. (12 Jul. 1878) decretum edidit et ad parochos Urbis direxit quo, inter alia, statuitur " peccare graviter omnes qui ex mera curiositate audiunt contiones Protestantium et assistunt, vel materialiter, caerimoniis acatholicis. " In locis vero in quibus jamdudum vivunt permixti acatholicis catholici, aditus mere materialis templorum haereticorum, etiam dum functiones religiosas peraguntur, non censetur communiter gravis culpa, dummodo absint scandalum, participatio ritibus vel orationibus haereticorum, et perversionis periculum. (Lehm. l. c.; Sabetti, n. 154)

4<sup>o</sup> Ancilla potest dominam comitari ad officia religiosa acatholica, si ita facere jubetur unice ratione famulatus, nullatenus in odium catholicae religionis, et insuper si incommodum sat grave est in tali famulatu deserendo. Similiter poterit infantem materialiter tenere dum in templo protestantico baptizatur. Attamen raro abesset periculum perversionis vel scandalum si crebro officiis religiosis interesset: quare talis frequentia raro licebit. (Lugo, de Fide, disp. 14. n. 17; Lehm. l. c.; Ball. P. n. 102)

Cavendum semper ne assistentia hujusmodi censeatur approbatio actionis perversae, ut contingeret plerumque si proxime consanguinei interessent nuptiis quas pars catholica coram ministro protestante contraheret, contra Ecclesiae vetitum. Insuper abstinendum ab iis functionibus quae involvant sectae agnitionem, ex. gr. a munere testis qui contractui matrimoniali auctoritatem conciliet. (Ball. P. n. 96)

De nuptiis haereticorum, infidelium vel quae illicite contrahuntur inter partem catholicam et partem acatholicam, respondit S. Inqu. 14 Jan. 1874 (Coll. P. F. n. 1848): " Tolerari posse ut catholici hujusmodi

nuptiis, civilis officii causa tantum adsint, semoto scandalo et quovis perversionis periculo necnon ecclesiasticae auctoritatis contemptu. "

201. IV. Haereticorum funeribus et sepulturae interesse licet, juxta decretum S. Inqu. 13 Jan. 1818 (Coll. P. F. n. 1833), his condicionibus: ut praestetur assistentia mere materialis seu ut nullum actum religionis ponere catholici intendant; ut ab hac assistentia abstinere nequeant sine gravi damno vel periculo, quod certe non obtinet ubi quis assistit proprio lubitu, nullo adstrictus civilis officii debito; tandem, ut catholici nullatenus cum haereticis communicent in sacris, ideoque nec simul orent, nec se ritibus eorum immisceant, nec luminaria deferant, neque pro defuncti anima suffragia persolvant. Videndum quoque quid habeat consuetudo regionis ab episcopis tolerata, ne temere et sine fructu bona fides perturbetur si quando (ut saepe contingit) haec materialis praesentia facilius praestatur ubi catholici acatholicis mixti degunt. Immo etiam ubi catholici bona fide, ob metum gravis mali, praestant communicationem in sacris prorsus illicitam, poterunt animarum pastores vel confessarii, qui non fuerint de hac re interrogati, dissimulare ad graviora damna vitanda, ut declaravit S. Inqu. decreto mox (III) pro catholicis Russiaci imperii allegato.

V. Non licet ex. gr. monialibus nosocomii curam gerentibus, ministrum falsae religionis advocare, quando infirmi acatholici eum ad se venire cupiunt ut ab eo religionis auxilia et solatio petant, sed oportet ut passive se habeant: ita ex responso S. Inqu. 14 Martii 1848. Illa autem verba *passive se habere* ita explicuit ipsum S. Off. in litteris ad Vic. Apost. Aegypti 31 Jan. 1872, ut nulli catholico licitum sit directe obsequi petitioni acatholicorum infirmantium ut vocent aliquem hujus sectae ministrum, liceat tamen uti aliqua persona ad eandem sectam pertinente ad eundem ministrum vocandum, cum hac ratione salva maneat prohibitio communicandi in divinis cum acatholicis. Utramque declarationem iterum probavit Leo XIII 26 Dec. 1898. Quodsi nullus praesto sit acatholicus qui aegroti petitionem transmittat ad ministrum suae sectae, existimamus, cum Lehmkuhl (I. n. 652) et Villada (Cas. Conse. II. p. 52), numquam fas esse catholicis petere a ministro haeretico ut aegroti praebent subsidia religionis, neque regulariter licere ab eodem petere ut ad aegrotum se conferat, dicendo ex. gr. " talis infirmus vult te alloqui. " Haec posterior cooperatio, quae se permissive tantum habet ad ritus religiosos quos forte minister ille peracturus sit, videtur licita ob gravem causam, quae rarius in regionibus omnino catholicis, crebrius in locis mixtae religionis exsurget. In his enim denegata cooperatio ad nuntium illum perferendum, facile odium in catholicam religionem excitaret et majora bona impediret.

Similiter dicendum de ministro haeretico vocando ad ritus funebres defuncto persolvendos. (Konings, I. n. 313)

De heterodoxis ad caerimonias catholicas admittendis dicetur Vol. II. n. 583.

#### CAPUT IV.

#### DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

##### § 1. DE INFIDELITATE.

**202. NOTIONES.** Infidelitas seu *carentia fidei* triplex distingui potest, quamvis alii alium sensum iisdem vocibus tribuant :

1° *Negativa*, seu status illius qui numquam aliquid de vera religione audivit, vel, si quid audivit, bona fide putavit non esse attendendum.

2° *Privativa*, seu status illius qui, licet fides ei nondum sufficienter proposita fuerit, aliquam tamen ejus notionem accepit et culpabiliter negligens fuit in quaerenda sufficienti fidei propositione.

3° *Contraria*, seu status illius qui positive respuit fidem sufficienter sibi propositam.

Hae variae significationes, quarum ultima omnino propriam vitii infidelitatis notionem tradit, referuntur ad verae fidei propositionem *nullatenus, incomplete vel plene* infideli factam. Sub alio respectu, nempe errorum qui veritatibus fidei ab infideli praeponuntur, distinguitur in Paganismum, Judaismum, Mahumetismum, Deismum, Atheismum, etc.

**ASSERTA. I.** Infidelitas *negativa* non est peccatum, ut liquet e principiis de ignorantia datis. Error contrarius damnatus fuit in prop. 68<sup>a</sup> Baii : " Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est praedicatus, peccatum est. „ Est tamen peccati poena, quae e peccato primi parentis consecuta est. (2. 2. q. 10. a. 1)

**II.** Infidelitatis *privativae* reatus mensurandus est e gravitate negligentiae in inquirenda veritate fidei catholicae. Ut adsit gravis obligatio inquirendi, requiritur prudens dubium de errore sectae in qua quis versatur.

**III.** Infidelitas *contraria* est peccatum mortale ex toto genere suo, ob gravem injuriam quam Deo revelanti infert, ut per se patet.

##### § 2. DE HAERESI ET APOSTASIA.

**203. NOTIONES.** Haeresis est error liber et pertinax contra fidem in eo qui fidem suscepit. Haec est definitio haeresis *formalis*; *materialis* autem in eo consistit quod aliquis, post fidem susceptam, errorem aliquem objectivum contra fidem catholicam sine pertinacia admittat vel affirmet.

Ad *formalem* haeresim constituendam requiritur :

1° Error contra fidem seu contra veritatem quae in verbo Dei scripto vel tradito continetur, et ab Ecclesia, sive sollemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponitur. (Conc. Vat. c. 3. de Fide) Igitur haereticus foret qui negaret quamlibet veritatem *manifeste* in Scriptura contentam : Ecclesia enim proponit credenda ea omnia quae in Scriptura continentur. (Lugo, de Fide, disp. 20. n. 58) Qui vero negaret quod falso putaret ab Ecclesia proponi ut revelatum, malitiam quidem internam haeresis contraheret : judicaret enim in corde suo Ecclesiam errare posse. Sed donec iudicium istud proferret, non esset in foro externo habendus ut haereticus cum nullam haeresim protulisset. (Suar. de Fide, disp. 19. sect. 5. n. 17) Tandem nullatenus haereticus foret qui negaret veritatem quam Ecclesia infallibili magisterio suo proponeret, sed non ut revelatam, ex. gr. hunc hominem canonizatum inter Caelites versari.

2° *Error liber* : nam, licet haeresis consummetur in intellectu per errorem seu iudicium erroneum, malitia ejus formaliter residet in actu voluntatis.

3° *Pertinacia*, quae essentialiter in hoc consistit quod aliquis iudicium hoc erroneum retine, sciens contrarium teneri ab Ecclesia cui suum iudicium ob vanam gloriam, libidinem contradicendi etc. praefert. Non requiritur ergo, in foro interno, ut diu in hoc errore perstet vel eum acriter tueatur. At immunis est a peccato haeresis quisquis paratus est iudicium suum Ecclesiae iudicio submittere, licet ex ignorantia, etiam culpabili et crassa, sententiam suam mordicus tueatur. (S. Alph. l. 3. n. 19) Haec pertinacia adesse potest etiam in eo qui veritatem fidei *in dubium revocat*, licet non positive neget. Ideo haeresim admittit qui positive de tali veritate dubitat ; ipse enim vel formaliter vel virtualiter iudicat dogma ab Ecclesia propositum esse incertum, ideoque Ecclesiae auctoritati refragatur. Sub hac forma, nostris praesertim diebus, saepissime hoc peccatum committitur, dicendo ex. gr. : Quis novit num detur alia vita post istam ? Quomodo constat quod Ecclesia de inferni poenis doceat ? Manifestum est abesse omnem pertinaciam ubi aliquis